

tibus statutis, etc., unde desumpta sit? — Quæritur III. Utrum per clausulas generales derogatorias, in litteris apostolicis contentas, « Non obstantibus statutis, » etc. censeatur derogatum qualitatibus in limine foundationis requisitis? Ubi sciendum, quod clausula illa, « Non obstantibus, ejusdem ecclesiæ privilegiis, consuetudinibus, vel statutis, juramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, » quæ, communiter in rescriptis ad beneficia ecclesiastica, et præbendas ecclesiarum cathedralium, seu collegiatarum apponi solet (non vero in aliis beneficiis, ut inquit Garcias part. VII. de Beneficiis, cap. i. n. 123.) desumpta sit ex c. Cum aliquibus. 4. de Rescript. in 6. De cujus etiam intellectu, præter alios doctores, plura congerit Barbosa in tractat. de Clausulis usu frequent. clausul. 84. per totum. Quo prænotato.

118. Per clausulam hanc derogatur statutis ecclesiarum generalibus. — Resp. I. Etsi per clausulas ejusmodi generales derogetur statutis ecclesiarum generalibus, seu omnia beneficia cujuscumque ecclesia respicientibus: non tamen per ipsas censeatur derogatum primævæ foundationi, seu qualitatibus in eadem pro consecutione certi cujuscumque beneficii requisitis, nisi expressa fiat mentio ipsiusmet foundationis. Ita Felinus c. Nonnulli, n. 22. de Rescript.; Garcias cit. part. VII. cap. i. n. 116, 117. et 118. et Barbosa cit. clausul. 84, n. 5. et 6. et 11. allegans alios, et multiplicem decisionem Rotæ. Prior pars ex eo liquet: quia Papæ nec deest potestas derogandis statutis ecclesiarum, cap. i. de Constitut. in 6. et c. Licet ecclesiarum 2. de Præbend. in 6. cum similibus. Nec voluntas, stante clausula illa: hæc quippe expressis verbis continet claram intentionem Papæ, volentis pro ea vice derogare statutis Ecclesiæ: cui rescriptum porrigi debet.

119. Non tamen primævæ foundationi, seu qualitatibus in eadem requisitis pro consecutione beneficii, absque expressa mentione foundationis. — Altera vero pars desumitur ex c. Cum dilectus. 28. juncta Glossa y. Quempiam præsentare. circa fin. de Jurepatron. Siquidem Papa per clausulas generales non intendit præjudicare, nec derogare, piis foundationibus, seu legibus in earum limine apposis, ne fideles retrahantur a foundationibus, et ordinationibus beneficiorum. Glossa loc. cit. Garcias cit. cap. i. num. 118. allegans Rotam in Foroliviens. capellaniæ. 10

maii 1589. coram dom. Seraphino. et alios.

120. Istud intelligendo tum in foundationibus laicorum, tum etiam clericorum. — Atque istud procedit non solum in foundationibus laicorum, de proprio patrimonio fundantium Ecclesias, aliaque beneficia Ecclesiastica; sed etiam in foundationibus clericorum, juspatronatus duntaxat ecclesiasticum habentium: prout contra nonnullos alios, tenet Felinus cit. c. Nonnulli n. 23. de Rescript. et Garcias d. part. VII. cap. i. n. 120. et 121. Accedit ratio, tum quia etiam fundatio clerici facta ex bonis ecclesiasticis, est multum favorabilis; sicque non censeatur ipsi derogatum, nisi de foundatione fiat expressa mentio; tum quia primæva fundatio, sive ordinatio in eadem posita, proprie non solet dici Statutum, sicque sub generali derogatione statutorum non venit, prout argumentatur Garcias cit. n. 121.

121. Per clausulam illam Non obstantibus foundationibus, etc., derogatur quidem foundationibus clericorum; non est vero laicorum, nisi expressa de his fiat mentio. — Resp. II. Quando in clausulis derogatoriis etiam apponitur ly, « Non obstantibus foundationibus, » etc., derogatur quidem foundationibus clericorum, atque qualitatibus, seu requisitis ipsarum; non vero foundationibus laicorum, seu factis ex bonis patrimonialibus, nisi de his fiat expressa mentio. Ita Glossa c. Cum dilectus. y. Quempiam præsentare. de Jurepatronat. et alia Glossa in Clem. 2. y. Apostolicis de Præbend. Garcias loc. cit. n. 122. Fagnanus c. Quoniam. n. 10. et 11. de Jurepatronat. cum aliis generaliter docens, quod Papa non conseatur velle derogare juspatronatus laicorum, nisi hoc exprimat.

122. Et quæ ratio disparitatis? — Accedit ratio simulque disparitas inter utramque partem conclusionis. Quia laici acquirunt juspatronatus ratione proprii patrimonii, quo fundaverunt, construxerunt, vel dotarunt Ecclesiam, aut beneficium: unde, ne alii retrahantur a faciendis similibus piis foundationibus neque consultum est, neque Papa præsumitur velle eisdem quoquo modo derogare, nisi istud clare exprimat. Secus dicendum de Clerico, seu patrono ecclesiastico, qui beneficium fundavit non ex proprio patrimonio, sed ex bonis suæ ecclesiæ, cæteroquin jurisdictioni Papæ specialiter jam subjectis. Verum de jurepatronatus, et qualiter acquiratur, plura inferius in proprio tit. XXXVIII. de Jurepatronatus.

## § V.

DE COLLATIONE BENEFICIORUM: UBI PLURA DE COLLATIONE ECCLESiarUM PAROCHIALIUM PER CONCURSUM.

123. Beneficia ecclesiastica tribus potissimum modis conferuntur. — Quæritur I. Quibus modis generalim conferantur beneficia ecclesiastica? Resp. breviter, id fieri potissimum tribus modis. Primo, per electionem canonicam, seu legitime celebratam a capitulo, vel aliis, quorum interest, atque a superiore confirmatam: et de hac dici solet, atque ex professo jam dictum est supra lib. I. tit. VI. de Electione, per totum. Secundo, per presentationem præviam, et institutionem in beneficio factam a prælato: de quo modo conferendi beneficia ecclesiastica, dicitur inferius partim tit. VII. de Institutionibus, partim tit. XXXVIII. de Jurepatronatus. Tertio, per collationem liberam: quando videlicet beneficium solo jure prælati libere, seu absque prævia capitulari electione, vel alterius presentatione, cuiquam idoneo clerico confertur: et de hoc agitur impræsentiarum, junctis dicendis infra cit. tit. VII. de Institutionibus. et tit. VIII. de Concessione Præbendæ, etc.

124. Acquiruntur etiam nonnullis aliis modis; et quibus? — Dicitur notanter in conclusione, « tribus potissimum modis. » Quamvis enim hi tres sint communiores, et præcipue usitati modi, quibus beneficia ecclesiastica conferri, obtinerique solent: unde hac de causa communiter beneficia dividuntur in electiva, patronata, et collativa, seu libera, ut jam superius n. 39. dictum est. Nihilominus beneficia etiam acquiri possunt, et quandoque acquiruntur aliis modis: ut puta, per postulationem, de qua dictum est supra lib. I. tit. V. de Postulatione prælatorum, per totum. Item, per resignationem, secuta beneficii resignati collatione per ordinarium alteri facta: de qua, et qualiter fieri debeat, pariter cit. lib. I. tit. IX. de Renuntiatione, ex professo tractatum fuit. Item mediante beneficiorum permutatione, juxta dicenda inferius tit. XIX. de rerum permutatione. Tacetur specialis modus acquirendi episcopatum per translationem; de quo superius lib. I. tit. VII. de Translatione episcopi, fusius actum est: nec non modus acquirendi beneficia ad primas preces imperatoris, et hujusmodi. Nisi placuerit hoc ipsos conferendi beneficia modis reducere ad unum priorum trium, con-

formiter dictis supra lib. I. tit. VI. de Electione. n. 9.

125. Quæ requirantur ad legitimam provisionem, seu collationem beneficii? Provisio est nomen latum, comprehendens sub se omnes modos providendi Ecclesiis. Provisio idem est, ac collatio. — Quæritur. II. Quæ requirantur ad legitimam provisionem, seu collationem beneficiorum? Ubi prænotandum cum Glossa in Clem. ult. y. Provisioni. de Election. quod Provisio sit nomen satis latum, et veluti genus comprehendat sub se omnes modos, per quos providetur cuiquam de beneficio, ipsique Ecclesiæ de idoneo rectore: unde complectitur sub se nominationem, postulationem, presentationem, collationem; estque amplius dictum supra lib. I. tit. VI. de Electione. n. 16. Atque in hoc sensu Glossa c. Eum cui. in Casu. de Præbend. in 6. asserit, quod « idem est Provisio, quod Collatio; » juxta textum ibidem, quo canonicatus cuiquam a Sede apostolica collatus, postea provisionis ordine dicitur ipsi concessus. Idem tradit Glossa in Clem. un. y. Conferantur. de Rerum permutat. passim recepta. Quo prænotato.

126. Collatio beneficii debet esse canonica. — Resp. I. Generatim loquendo ad legitimam provisionem, seu collationem beneficii ecclesiastici, requiritur, quod sit Canonica: hoc est, facta juxta præscriptum sacrorum canonum; videlicet, sine vitio conferentis, recipientis, et formæ. Ita Joan. Andreas c. Constitutus. n. 2. de Filiis presbyt. et alii. Siquidem, ut habet reg. 1. jur. in 6. « Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri: » juncta reg. 64. eod. in 6. « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, » cum concordantiis.

127. Ac celebrata juxta formam a jure communi, statuto, aut consuetudine, etc., præscriptam. Forma dat esse rei. — Resp. II. Deinde in collatione, seu quacunque provisione beneficiorum, oportet observare formam a jure communi, vel statuto, aut consuetudine, vel foundatione præscriptam; alioquin nulla erit. Ita communis; ac signanter Garcias part. IX. de Beneficiis, cap. i. n. 1. post Puteum decis. 338. lib. I. et alios. Siquidem formam dat esse rei, l. Julianus. § Si quis rem. ff. Ad exhibendum. Ac forma non servata, corrumpit actus, c. Quia propter. 42. § Aliter. de Election. et can. Sine exceptione. 12. quæst. 2. et c. Cum dilecta. 22. de Rescript. cum similibus;

et late tradit Everardus in *Loco, A defectu formæ*, n. 2. et 3. ac seqq. Garcias cit. part. IX. cap. i. n. 1. et alii. Cæterum, quænam forma in specie sit observanda in provisione beneficiorum per viam electionis, postulationis, renuntiationis, seu permutationis, ac hujusmodi, in propriis locis, imo et sub specialibus titulis, commodius explicari solet. Generatim autem loquendo.

128. *Collatio beneficii debet fieri gratis: alioquin erit simoniaca et invalida.* — Resp. III. Ad quæcumque provisionem, seu collationem beneficii ecclesiastici, vel maxime requiritur, ut fiat gratis: hoc est, non pretio, pecunia, seu mercede temporali interveniente, can. *Si quis dator.* et can. *Si quis objecerit.* et can. *Salvator.* 1. q. 3. cum innumeris concordantiis. Alioquin quippe contraheretur simonia, qua provisio beneficii vitatur, ipsoque jure invalida existit ejus acquisitio. can. *Ea quæ.* 1. q. 3. et *Extravag. Cum detestabile.* de *Simon.* inter commun. cum similibus; atque amplius, dici solet tit. de *Simonia.*

129. *Debet etiam fieri pure; hoc est, sine pacto, conditione, etc.* — Insuper requiritur, ut collatio et quævis provisio beneficii ecclesiastici, fiat pure: id est, sine pacto, conditione ac modo privata partium conventionione adjecto: alioquin pariter censeretur simoniaca, et nulla c. *Super eo.* 7. de *Transaction.* et c. *Cum pridem.* 4. et c. *Cum Clerici.* 6. de *Pactis.* cum concordantiis. Nam, ut c. *Quæsitum.* 5. de *Rerum permutat.* legitur, «Pactio circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ.» Ac proinde merito cap. ult. de *Pactis*, dicitur: «Pactiones factæ pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti.» Videantur plura de hoc superius lib. I. tit. IX. de *Renuntiatione.* § 4. n. 75. et seqq. ubi hoc ipsum exemplificatur; simulque n. 81. et seqq. declaratur clausula illa, «privata partium, conventionione adjecto.»

130. *Et non esse obtenta subreptitiæ.* — Ulterius requiritur, ut collatio beneficii non sit obtenta subreptitiæ; hoc est, per expressionem falsitatis, aut suppressionem veritatis de jure exprimendæ: alioquin ipsa non tenet ac nullius existit momenti, c. *Cum adeo.* 17. juncta glossa *γ.* de *Præbenda.* et *γ.* *Nec Clericus.* de *Rescript.* et c. *Ad audientiam.* 11. eod. et Clem. de *Præbend.* cum similibus:

estque ex professo dictum supra lib. I. tit. III. de *Rescriptis.* § 7, n. 171 et 172. ac seqq.

131. *Debetque fieri intra debitum tempus; et quale?* — Resp. IV. Ad validam provisionem, seu collationem beneficii etiam requiritur, ut fiat intra debitum tempus: hoc est, intra tres menses, loquendo de ecclesiis cathedralibus, et regularibus prælato perpetuo vacantibus: vel intra semestre, a die notæ vacationis computandum, loquendo de cæteris prælaturis, dignitatibus, et beneficiis ecclesiasticis. Textus est in c. *Ne pro defectu.*

41. de *Election.* et c. *Nulla.* 2. et c. *Quia diversitatem.* 5. § fin. de *Concession. præbend.* juncto c. *Licet.* 3. de *Supplend. negligent. prælat.* estque uberius dictum supra lib. I. tit. VI. de *Electione.* § 11. n. 278. usque ad n. 282. et tit. X. de *supplenda negligentia prælatorum.* n. 22. 23. et 24. Ibi videatur.

132. *Quibus conferenda sint beneficia ecclesiastica? Remissive.* — Quæritur III. Quibus conferenda sint beneficia ecclesiastica? Resp. I. Generatim loquendo, talibus clericis conferenda sunt beneficia, præsertim curata, quos commendat «ætatis maturitas, gravitas morum, et litterarum scientia,» juxta textum expressum c. *Cum in cunctis.* 7. § 1. de *Electione.* Et qui «digne possunt Dominica sacramenta tractare: melius est enim Domini sacerdoti, paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles,» prout habetur can. *Tales.* distinct. 23. Quique personaliter residere in loco beneficii, et curam ejus per se ipsos valeant exercere, c. *Quia nonnulli.* 3. de *Clericis non resident.* cum concordantiis.

133. Resp. II. Loquendo magis in specie, quænam ex parte promovendorum ad beneficia ecclesiastica, tum curata, tum non curata (puta, ad obtinendos episcopatus, ecclesias parochiales, vel vicariatus perpetuos; sive ad dignitates, personatus, canonicatus ecclesiarum cathedralium, vel collegiatarum, ipsaque beneficia simplicia) requirantur, in propriis locis jam dictum est. Præsertim vero de his copiose, simulque ex professo, actum fuit supra lib. I. tit. VI. de *Electione.* § 9. de *Qualitatibus eligendorum,* per totum; et tit. XIV. de *Ætate, qualitate, et ordine præficiendorum,* pariter per totum; ubi proinde videri poterit. (ADNOTATIO LI.)

134. *Quid dicendum de collatione ecclesiarum parochialium, per formam concursus.* — Quæritur IV. Quid dicendum de collatione

parochialium ecclesiarum per formam concursus. Resp. I. Cum maxime expediat animarum salutem, eas a dignis et idoneis parochiis gubernari: hinc ut istud diligentius ac rectius perficiatur, concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XVIII. de *Reform.* pro assumendis ad regimen parochialium ecclesiarum, novam formam examinis per Concursum (ut vocat) præscripsit, consistentem in sequentibus.

135. *Forma concursus non habet locum in beneficiis simplicibus, bene tamen in ecclesiis parochialibus.* — Et primo quidem sancta synodus statuit, ut examen hujusmodi servetur in omnibus ecclesiis parochialibus, etiamsi cura ecclesiæ, vel episcopo incumbere dicatur, aut per unum vel plures administratur, per obitum, vel resignationem vacantibus: «etiamsi ipsa parochialis ecclesiæ reservata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter,» etc. Secus dicendum de beneficiis simplicibus: nam horum collatio non indiget prævio examine per concursus; unde nec ipsorum meminit concilium præfatum. Aloys. Riccius part. I. *Prax. fori ecclesiast.* resp. 362; Barbosa part. III. de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 60. n. 36, citans Rotam in una Calaguritana reductionis motus proprii. 29 martii 1592. coram Illustriss. Seraphino. inter hujus impressas decis. 942. n. 6. et 7.

136. *His vacantibus debet constitui idoneus vicarius, si opus fuerit.* — Secundo statuit, ut occurrente parochialis ecclesiæ vacatione «debeat episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur.» Ita concilium. Ubi ly, «si opus fuerit,» additum fuit ad excludendum casum, quo in eadem ecclesia adessent alii ministri sacramentorum, qui interea curam illam, quæ ad defectum spectabat, exercerent, etc. Garcias part. IX. de *Beneficiis.* cap. n. n. 13. allegans declarationem sacræ congregationis concilii.

137. *Et quæ alia quoad formam concursus præscripsit concilium Tridentinum?* — Tertio item concilium statuit; «ut Episcopus, et qui juspatronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus, ab episcopo præscribendum, idoneos aliquot clericos ad regendam ecclesiam coram deputandis examinadoribus nominet. Aut pro regionis more, per edictum

etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore, omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab episcopo, sive eo impedito, ab ejus vicario generali, atque aliis examinadoribus non paucioribus, quam tribus,» etc. in synodo diocesana proponendis, et approbandis, atque habilitatis juxta præscriptum citati concilii Tridentini.

138. Quarto statuit, ut «peracto examine renuntietur, quotcumque ab his idonei iudicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis; ex hisque episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, et non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.»

139. Quinto præscribit concilium, quid observandum sit, quando Ecclesia parochialis est juspatronatus ecclesiastici, vel laicalis, illis verbis: «Si vero juspatronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad episcopum, et non ad alium pertineat, is quem patronus digniorem inter probatos ab examinadoribus iudicabit, episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio, quam ab episcopo, erit facienda, tunc episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quod si juspatronatus laicorum fuerit, debeat, qui a patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra examinari, et non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.» Hæc ibi. Unde patet notabile discrimen inter juspatronatus ecclesiasticum, et laicale: nam in illo præmittendum est examen plurium, seu per formam concursus: secus in isto, ubi solus ille, qui a patrono laico præsentatus est, examinari debet, atque admitti, si dignus repertus fuerit. Ratio hujus disparitatis habetur supra n. 121. et 122.

140. Sexto statuit concilium, «ut in omnibus supra dictis casibus non cuipiam alteri, quam uni ex prædictis examinatis, et ab examinadoribus approbatis, juxta supra dictam regulam provideatur:» atque examinadorum relationem nulla devolutio, vel appellatio, etiam ad Sedem apostolicam impediatur aut suspendatur, etc. «Alias provisiones omnes, seu institutiones, præter supra dictam formam factæ, subreptitiæ esse censeantur; non obstantibus, etc., prout amplius, et quidem fusissime, allegatis pluribus sacræ

congregationis declarationibus, et Rotæ decisionibus, atque constitutione 33, beati Pii V. quæ incipit, *In conferendis*, edita 1556, 15 cal. april., declarat Nicol. Garcias part. IX. *de Beneficiis*, cap. II. per totum. et Barbosa par. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 60, n. 13. et seqq. et part. I. *de Offic. parochi.* cap. II. per totum, citans alios. His adde dicenda inferius n. 148. et 149.

141. *Dantur nonnullæ Ecclesiæ, etiam parochiales, in quarum provisione non requiritur forma examinis per concursum. Ut si Ecclesiæ parochiales sint omnino pauperes; vel timeantur factiones.* — Resp. II. Dantur nihilominus quedam Ecclesiæ, etiam parochiales, in quarum provisione, seu collatione, non requiritur forma examinis per concursum. Ita communis; et patet inductione. Imprimis enim concilium Tridentinum cit. sess. 24. cap. XVIII. circa fin. *de Reform.* hinc excipit Ecclesias parochiales pauperes, aut factionibus, dissidiis, vel gravioribus rixis, aut tumultibus expositas, illis verbis: « Si tamen adeo exigui redditus dictæ parochiales fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant; aut nemo sit, qui se examini querat subicere; aut ob apertas factiones seu dissidia quæ in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixæ ac tumultus possint excitari: poterit ordinarius, si pro sua conscientia cum deutorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma ommissa, privatim aliud examen, cæteris tamen, ut supra, servatis, adhibere. » Hæc ibi.

142. *Item vicariæ perpetuæ parochialium unitarum Ecclesiis, collegiis, etc.* — Deinde a præfato concursus exceptæ sunt vicariæ perpetuæ parochialium unitarum, seu incorporatarum aliis ecclesiis, monasteriis, beneficiis, collegiis, vel locis piis, in quibus non proprie parochus, sed vicarius ponendus est. Hujusmodi quippe vicariæ non conferuntur per concursum; sed solum ad nominationem, seu præsentationem illorum, quorum dignitati, Ecclesiæ, vel monasterio, etc., parochialis unita est, vicarii, prævio ordinarii examine, sunt instituendi. Ita Garcias cit. part. IX. cap. II. n. 289. et seqq.; Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 60, n. 31. et 32, citans plurimos alios; estque communis. Sic quippe voluit, ac mandavit beatus Pius V. in constitut. 47, *Ad exequendum.* (quæ refertur tomo II. *Bullarii Romani*) ubi § 4. sic loquitur: « Volumus insuper, et ita mandamus, quod dicti vicarii

perpetui non ad liberam ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum ordinariorum, seu eorum vicariorum prævia examine, et approbatione deputentur. » Hæc ibi.

143. *Aut monasteriis regularium: ubi de his nonnulla specialia habentur.* — Et specialiter de regularibus loquendo, subjungit Pontifex ibid. § 5. in hæc verba: « Et si dictæ parochiales unitæ erunt monasteriis regularium mendicantium, possint a superioribus diotorum monasteriorum nominari ex ipsis mendicantibus, quos si ordinarii prævio examine per se, aut eorum vicarios faciendos, idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, et ita pro idoneis approbaverint, teneantur in vicarios, ad nutum tamen superiorum suorum amovibiles, deputare. Idemque etiam servetur in regularibus monachis tantum, dummodo in ea parochiali, in qua unus ex monachis fuerit, servata forma prædicta, vicarius deputatus, habitent cum eo saltem quatuor alii ex dictis monachis. » Hactenus Pontifex, aperte præmissis verbis determinando, quod in collatione parochialium unitarum aliis Ecclesiis, collegiis, monasteriis, etc., non requiratur forma examinis per concursum. Nec immerito: nam propter unionem perpetuo factam, Ecclesia parochialis censetur accessoria alteri Ecclesiæ, collegio, monasterio, etc. *c. Extirpanda.* 30. § *Qui vero.* h. t. Atque per se nunquam censetur vacare, juxta Clem. un. § *Quidam etiam Ecclesias.* *de excessib. prælat.* Sed assumit naturam, consuetudines et privilegia principalis, cui est annexa. Glossa cap. I. § *Uniendo.* *Ne Sede vacante,* etc. Simulque in ea tantum attenditur qualitas, et natura beneficii principalis; non autem accessorii, arg. Clem. *Per litteras.* *de Præbend.* juncta reg. 42. juris in 6. « Accessorium naturam sequi congruit principalis: » et amplius dicitur infra tit. XII. *Ut ecclesiastica beneficia,* etc. § 3. n. 44. 45. et seqq. Sicque concilium Tridentinum, requirens formam concursus in collatione Ecclesiarum parochialium, non habet locum in Ecclesiis hujusmodi, postquam perpetuo et accessorie fuerunt unitæ aliis Ecclesiis, collegiis, monasteriis, etc., horumque naturam et qualitates assumpserunt.

144. *Item dignitates curam animarum habentes in cathedralibus, vel collegiatis Ecclesiis.* — Tertio, dignitates curam animarum habentes in cathedralibus, vel collegiatis

Ecclesiis, pro sua collatione, a concilio Tridentino cit. sess. 24. cap. XVIII. *de Reform.* præscriptam. Siquidem concilium loc. cit. non loquitur de dignitatibus, Ecclesiis collegiatis, neque harum expressam mentionem facit; prout fecit alibi, ubi voluit. Fagnanus *c. Cum sit ars.* n. 19. et 22. ac seqq. *de Ætat. et qualitat.* etc. asserens, ita sensisse sacram congregationem concilii, hujusque sententiam a sanctissimo fuisse approbatam.

145. *Ac beneficium curatum, quod vero dignitas est.* — Similiter beneficium curatum, quod vere dignitas est, non esse conferendum per concursum; tradit, atque decisum refert Barbosa cit. part. III. *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 60, n. 29. Idemque dicendum de dignitate, quæ parochialem sibi perpetuo accessorie unitam habet. Barbosa loc. cit. n. 25. et seqq. plures similes casus allegans. Garcias d. part. IX. cap. II. n. 193. referens declarationem sacræ congregationis: et concordat dicta n. 142. et 143.

146. *Sicut et in permutationibus parochialium Ecclesiarum non requiritur examen per formam concursus. Et an aliud examen permutantium tunc requiratur?* — Quarto, in permutationibus Ecclesiarum parochialium non requiritur examen per formam concursus: non enim possunt conferri, nisi permutare volentibus, Clem. un. *de Rerum permutat.* Imo, quod in permutationibus Ecclesiarum parochialium non requiratur aliquod examen, decisum esse a sacra congregatione, refert Garcias cit. cap. II. n. 165. vers. *Quarta.* et Barbosa, ubi supra n. 23. Ea tamen adjecta limitatione, ut si adsit magna inæqualitas numeri parochianorum, vel permutantes non fuissent examinati eo tempore, quo parochiales Ecclesias adepti sunt, tunc examinandi sint, sed absque concursu: ac similiter, si fiat permutatio cum beneficio simplici, tunc necessarium sit examen, sed absque concursu.

147. *Ecclesiæ parochiales jurispatronatus laicorum, etiam non conferuntur per formam concursus. Alii casus, in quibus cessat necessitas examinis per formam concursus. Remissive.* — Tacentur Ecclesiæ parochiales, quæ sunt jurispatronatus laicorum: nam has non conferri per concursum, ultro decrevit concilium Tridentinum loc. cit. estque jam dictum supra n. 139. Tacenturque nonnulli alii casus, in quibus cessat necessitas examinis per formam concursus, quorum universim enumerat novemdecim Barbosa d. part. III.

*de Offic. et potest. episc.* allegat. 60. a n. 18. usque ad n. 39. Nam cæteri vel commode reducuntur ad unum præmissorum, vel sunt minus notabiles.

148. *Provisiones parochialium, præter et contra formam præscriptam factæ, nullius sunt roboris, ex constitutione beati Pii V.* In conferendis. — Pro coronide hujus quæstionis sciendum est, quod beatus Pius constitut. 33. quæ incipit, *In conferendis* (atque refertur tomo II. *Bullarii Romani*) auctoritate Apostolica, « omnes et singulas collationes, provisiones præter et contra formam a concilio Tridentino, præsertim in examine per concursum faciendos, præscriptam factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris vel momenti fore, et esse nullumque provisum jus, aut titulum etiam coloratum possidendi præbere, et parochiales Ecclesias hujusmodi vacabant, ex nunc vacare statuerit, decreverit, et declaraverit, » etc., easque sic vacantes Sedis apostolicæ dispositioni reservaverit: prout patebit legentibus citatam constitutionem § 3.

149. *Et in quibus diocesisibus hæc constitutio locum habeat?* — Sciendum tamen, quod Gregorius XIII. (prout refert Garcias sæpe cit. part. IX. cap. II. n. 4.) audita relatione congregationis, responderit, dictam constitutionem beati Pii V. non habere locum, nisi in his diocesisibus, in quibus fuit coacta synodus diocæsanæ; et in eis juxta formam cap. XVIII. sess. 24. fuerunt deputati examinatores. (ADNOTATIO LII.)

## § VI.

DE POTESTATE CONFERENDI BENEFICIA RESPECTU PAPÆ, EJUSQUE LEGATI: UBI ET DE MANDATIS APOSTOLICIS DE PROVIDENDO.

150. *Papa de jure communi habet potestatem conferendi omnia beneficia ecclesiastica totius mundi. Horumque omnium plenaria dispositio pertinet ad Papam.* — Quæritur I. An, et quibus modis Papa possit, ac soleat conferre beneficia ecclesiastica? Resp. I. Papa, sive Pontifex Romanus, de jure communi habet potestatem conferendi omnia beneficia totius mundi. Ita communis canonistarum, et theologorum; atque habetur expressum cap. II. *de Præbend.* in 6. illis verbis: « Licet ecclesiarum, personatum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur pen-